

tatis cum omni iure quod in eo habuimus pro quinquaginta quinque marcis comparavit a nobis et nos in eandem ecclesiam pro nobis et heredibus nostris bona praedicta iure eodem transtulimus integraliter ac perfecte; nolentes ipsam ecclesiam in praedicto iure ab aliquo molestari vel etiam aliquialiter aggravari. A nobis etiam antea partem residuam scilicet centum et decem et tertium dimidium modios comparaverat et nos in eandem ecclesiam similiter iure praelibato transtuleramus modios supra dictos. Et quamvis filii Bertoldi dicti Sulcepennine aliquam partem annonae videlicet viginti duos modios habeant in molendino praefato, ab ipsa tamen ecclesia sancti Thomae eosdem modios singulis annis recipient, quia eosdem a praedicta ecclesia iure possident feudali. Datum in Lipze anno dominicae incarnationis M^o.CC^o.XLVIII^o, VII^o. Idus Maii, sextae indictionis. Huius rei testes sunt Bernardus prior de Bueh, Hermannus burchravius de Novo Castro, Albertus burchravius de Aldenbure, Albertus burchravius de Dewin, Vricus de Pac, Albertus dapifer noster de Burne, magister Cristoforus curiae nostrae notarius et alii quam plures.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig mit dem Reitersiegel an Fäden von rother und gelber Seide.

No. 17. 1254. 20. Febr.

Probst Conrad weist mit Genehmigung des Capitels Einkünfte des Klosters zu Verbesserung der Krankenverpflegung und zu Erleuchtung des Schlafhauses an.

C. dei gratia praepositus sancti Thomae apostoli in Lipzk universis praesens scriptum intuentibus in perpetuum. Cum ad omnes domesticos fidei bonum operari et caritatem extendere praecipiente apostolo teneamur, maxime tamen ad eos quorum curam utpote filiorum a benigno pastore Christo Jhesu suscepimus pertractandam. Inde est quod nos videntes in ecclesia nostra unum de sex operibus misericordiae deesse, quod in evangelio salvator approbat dicens: Infirmus fui et visitastis me, pro quo laudabuntur in iudicio salvandi, ipsum etiam locum non haberi ubi secundum regularem consuetudinem infirmi possent congrue visitari, pleno affectu et cum diutina deliberatione statuimus, ut de censu, quem de scola exteriori ad cameram nostram recipimus, tria talenta infirmis atque minutis administrari debeant annuatim singulis quatuor temporibus quindecim solidi, quos eiusdem scolae magister dabit et praesentabit alicui dominorum, quemcumque dominus praepositus idoneum ad hoc negotium iudicarit. Ipse vero, cui haec cura commissa fuerit, debet minutos quater in anno in cibis et in potu solito lautius procurare et quicquid residuum fuerit studeat aegrotantibus misericorditer elargiri. Ne autem talis summa inutiliter expendatur, placuit ut coram praeposito et dominis quibus haec debentur computationem teneat procurator. Illud etiam memoriter observari volumus, quod de praedictis tribus talentis decem solidi pertinebunt ad servitium dominorum in anniversario dominae Yrmengardis Bawarae in vigilia sancti Nycolai, quae contulit nobis circiter sexaginta marcas, per quod ecclesia gravibus a debitis utiliter est exempta. Praeterea quaedam deformitas et defectus religionis erat in ecclesia nostra videlicet quod lumen in dor-